

faliscum metrum

ΑΡΘΗΟΝ. GL VI 123. 17 sqq. inde intellegi datur ex huius modi anapaesticis carmen illud faliscum, quod constat ex spondeo, duobus anapaestis et syllaba, esse compositum: (Annian. fr. 2 [FPL] p. 343 Blänsdorf)

undae unde colonus eoae
a flumine venit Oronti,

ultima catalectica superfluente syllaba. suggerendum tamen necessario reor, ne forte apud aliquem mirum aut novum sit, si mixtum anapaestis spondeum invenerit. nam cum et anapaestus et dactylus [et] e duabus spondei longis nunc prima nunc secunda divisio editi esse noscantur, consequenter ac merito ut parens utriusque apud alterum eorum auctoritatem maximam obtinebit et, ubi usus exegerit, inter anapaestos locum sibi usurpabit. neque hoc silentio tradiderim, esse etiam alteram faliscorum carminum speciem ita digestam, ut e tribus dactylis et iambo ultimo ordinata subsistat, velut: (*versus Anniano attributus*, fr. 4 [FPL] p. 345 Blänsdorf)

pergat amica Venus modo iocis.

SERV. GL IV 465. 5 sq. (= p. 41. 5sq. Elice) de falisco. faliscum constat tribus dactylis et pyrrichio, ut est hoc:

‘docta falisca, Serenae, reparas’.

[V.V.]